

PRAEFATIO AD TOTVM OPVS.



T vitam resque gestas Ludolfi, Duxis Saxoniae orientalis, litteris consignarem memoriaeque proderem, olim apud animum statueram, simulac prouidentia diuina mihi domicilium Gandershemii collocasset. Quid enim animum discendi cupidum prius adficit ac permulcet, quam notitia de eo loco, in quo aërem haurimus et rationes muneri demandati exsequimur? Multas passim deprehenderam tenebras de ortu et dignitate Ludolfi, eoque vehementius ad veritatem ex angulo protrahendam inflammar. Quum tandem conlecta in publicam lucem emittere statuisse et commentatio, vitam Ludolfi exponens, iam preli carceres morderet, monuit vir nobilissimus, qui impensas ferebat, ut adfinia, si qua in promtu essent, adiungerem, instans, ne publicae luci inuiderem, quae ad idem institutum pertinentia conquisiuisset. Addidit calcaria tergiuersanti mihi VIR ILLVSTRIS et GENEROSISSIMVS, IOANNES ANTONIVS DE KROL, Patronus noster summus et pietate aeterna colendus, additisque de adparatu diplomatum ac adiumento librorum pretiosiorum adferendo pollicitationibus prolixissimis erexit torpentre. Desudo enim quotidie propemodum per horas septem in puluere scholaftico, conflictans cum ingenis eiusmodi, quibus nunquam non stimuli sunt subiiciendi. Noram quidem historicorum coryphaeos, et ductu D. Simonis Friderici Hahnii, quocum easdem Helmstadii aedes incolui eidemque mensae fui adhibitus, ex eis quamplurima conlegeram olim testimonia, quae in Viri Consultissimi *Historia Romani Imperii* existant. Adnui proinde desideriis eorum, qui in commodis publicis amplificandis omne suum tempus consumunt, ac tempus illud, quod alii nugis et confabulationibus conferendis, potionibus *Caffé* exhauriendis, fumis vendendis et vorandis, deambulationibus, catellis permulcendis, et ludis, transmittunt, perpenduae temporum praeteritorum indoli consecraui. Ex hisce initii enatum est opus illud, quod cum lectore beneuolo in praesens communicatur. Praedefiniui confessim mihi illam legem, vt enarrationem coenobiorum Gandershemensium in loco curae meae primae deputarem, eamque ob caussam nullum omitterem diploma, vnde quantulacunque vtilitas profluere posse videbatur. Mirandum non est, longe plura heic enarrari ac produci, quam quae per se ad ecclesiam Gandershemensem spectant. Nam ea fuit quondam regalium conditio coenobiorum, vt ipsis vincula fuerint, quibus Imperatores, Reges, Duces, Comites, ministerialesque sibi habuere coniunctos. De Ludolfo, autore et conditore coenobii, Brunshusani, et regalis, primo loco fuit differendum. Quae postea inter legendnm occurrerunt, ad vitam et res gestas Ludolfum adtinentia, ea sub initium *Dissertationis nonae* vel supplentur vel emendantur. Si a Ludolfo discesserimus, reliqua dif-

PRAEFATIO AD TOTVM OPVS.

fertationibus fuerunt inclusa , tum quod enarranda laborabant diuersitate maxima , tum quod Annales conscribere non licebat. Praeter Gandersemensia curas intendi in historiam inferioris Saxoniae, quae Visurgi ac Albi intercipitur, illustrandam. Quod ipsum eo minus a scopo meo alienum videbatur, quo iustius de Aduocatis ac Defensoribus, de Benefactoribus eximiis, et de eis, qui bona ex patrimonio ecclesiae Gandersemensis tenuerunt olim vel adhuc possident, mihi erat tractandum. Quare lector non succensebit mihi, suppeditanti historiam Ludolfidarum, Billungidarum, Comitum Northemensium , ac Brunsuicensium, atque cum maxime Ducum Brunsuicensium, e progenitoribus suis rite deductorum. Ludolfidae enim Duces ac Reges exstiterunt ecclesiae nostrae munificentissimi patroni ac defensores acerrimi. Ottudem Illustrum castrum, coenobio Luneburgi recens exstructo adiunctum, ecclesiae nostrae in feudum obtulisse, persuaserant sibi maiores nostri. Comites Northemenses fuerunt monasterii nostri et aduocati et clientes fiduciarii. Idem de Comitibus (a) Brunsvicensibus pronuntiandum, nec non de Ducibus , eiusdem cognominis. Ducum Serenissimorum Brunsvicensium historiam pertexui vsque ad saeculi decimi quinti prope medium. Religioni mihi erat, recentiora addere, siquidem verebar , ne forem moleste sedulus, vel villo pacto in venerationem, PATRIBVS PATRIAE debitam CLEMENTISSIMIS, peccarem. Eadem ratio me adduxit, cur expositionem historiae Comitum Regensteinensium omiserim, contentus tabula genealogica ac diplomatibus nonnullis in medium adlatis. Vbiique veritatem omnem patefacere non licuit; scripsi tamen ea, quae vero sunt consentanea. In historia Ducum Brunsvicensium exactius recensenda adiutus sum diplomatibus nonnullis, a Viro summe reuerendo PHILIPPO IVLIO REHTMEIERO beneuole mecum communicatis. Nec minus suppetias tulit Vir Celeberrimus, Professor Academiae Luneburgicae, IOANNES LVDOVICVS LEVINVS GEBHARDVS, fautor amicissimus, vti videre est ex *Nouis Eruditorum Actis* a. 1733. m. Mart. p. 116. sqq. Ut autem dies diem docet, ita sensim quamplurima plenius rectiusque fui edoctus, quae praecipue in *Dissertatione nona et Emendandis* aperte et simpliciter in medium produxi. Quantum ad Comites Winceburgenses adtinet, duplex ibi nascitur recensio: vna Ioannis Lezneri; altera ex Reinhardi Abbatis Reinhufensis Opusculo conflata. Priorem initio sum fecutus; postea magis adratis posterior, quum intellexi, fidem Lezneri in saeculis antiquioribus esse sublestam, et Comitem Rigdagum, coenobii Lamspringensis conditorem, immerito dici Winceburgicum, quum patrimonium omne suum dederit ecclesiae Lamspringensi, nec tamen in diplomatibus, inibi adseruatis, vnuquam adpelletur Co-

(a) In genealogia et historia, de Comitibus Brunsvicensibus p. 252. sqq. enarrata, recentiores fui fecutus. Re vero saepius expensa, vnam et alteram sententiam immutare libuit, vti patet ex *Dissertatione de Vasallis*. Praestat, errorem detegere et profligare, quam obstinate eum defendere.

PRAEFATIO AD TOTVM OPVS.

Comes Winceburgi. Eadem ratione profeci successu temporis in genealogia et historia Comitum Northemensium, faciem praferente Viro Celeberrimo *T. III. Menck*. p. 1129. sqq. In genealogia Billungidarum nonnulla emendatoria debeo diligentiae Cel. Gebhardi. Quantum ad genealogiam Carolingorum adtinet, de ea valet Cel. IOANNIS DAVIDIS KOELERI *prologus galeatus*, quem praemisit *Exercitationi genealogicae de familia Augusta Carolingica*. Ipse enim prudentissime: *In deducendis originibus Carolingicis non altius adscendimus, quam ad S. Arnulfum, Episcopum Metensem*. Et paucis interiectis: *Stamus potius a parentibus Ludouici Conterelli Fabri, Hadriani Valesii, Blondelli, Ducis Epernonii, aliorumque, qui non uno argumento perstringunt commentitium Ansberti et Blithildis coniugium, et vel ambitioni Caroli Calui Imperatoris vel adulacionibus Hincmari, Rhemensis Archiepiscopi, ad omnem fraudem acuti, attribuunt, ut Genealogia Carolingica duobus gradibus fictitiis augeretur et Merouingico stemmati insereretur*. Haec notanda duxi ad p. 502. Sigilla curau designanda, admodum multa: nec in numero horum adquieuissem, nisi, impensis in opus faciendas nimis metuere, satius fuisset. De sigillis Imperatorum ac Bullis Pontificum ex professo disserui p. 1126. sqq. Piaculum enim videbatur, tum sigilla orbi erudito inuidere, quae archivum cathedralis ecclesiae Hildeshemensis, monasterii Lamspringensis, ac Gandershemensis mihi abunde suppeditauerant: tum obseruationes, quas experientia me subinde docuerat, dissimilare, quibus scientia diplomatica insigniter illustrari ac ad regulas certas redigi potest. Quid enim in re diplomatica Caesarum et Paparum requiri potest amplius praeter ea, quae communicaui, nisi exempla scripturarum e saeculis singulis conlectarum, et diurna itinera, Imperatorum in primis, in formam annalium coniecta. Quis enim, quaeso, contendet, ea diplomata esse genuina, quae 1) data sunt a Lothario tanquam Rege ante regiam dignitatem impetratam, vel ab eo, tanquam viuo, reuera tamen mortuo: 2) quae repugnant domicilio, quibusuis temporibus usurpato: 3) quae monogramma et sigillum alterius vel prorsus alienum praferunt: 4) quae repugnant scripturae, stilo et indoli aetatis, ad quam exarata creduntur: 5) quae manifestis scatent erroribus historicis. Fateor tamen, diplomata ea, quibus nonnihil genuinae indolis deest, saepius haud esse reiicienda. Veteres enim in more positum habebant, vt maiores suos honoratioribus ornarent elogiis et dignitates ac appellations honorificas, sua aetate obuias tritissimasque, adhiberent saepius, quum de rebus ante se gestis suisque maioribus incidisset mentione. Dantur quoque chartae, quae per formam diplomatis non sunt promulgatae, et nihilo secius genuinae sunt ac certae. Saeculo demum undecimo exeunte, Episcopi coeperunt diplomata edere, sigillo, sui corporis indice, subsignata. Duces, imperante Lothario, morem illum imitati, Comitibus, Abbatibus, Dominis et ministerialibus praebuerunt exemplum, quod hi, sibi ob oculos positum esse, existimarunt. Ante hoc tempus, diplomatibus Caesarum, donationes Ducum ac Comitum

PRAEFATIO AD TOTVM OPVS.

confirmari consueuerant. Donationes ipsae, non confirmatae, in rei memoriam sine sigillo ceterisque solemnitatibus perscriptae fuerunt vel in tertia persona vel in persona donantis. Exempli loco sunt, donatio Wulfhildis, Ottonis illustris, fundatio Ludolfi et tabulae aliae. Monachi postea tabulis eiusmodi subdiderunt sigilla, quae primo obtutu fraudem ostendunt, vel donationes ac fundationes ad normam diplomatum Imperatoriorum conformarunt, atque creberrima infiditiae suae reliquerunt vestigia. Ex eo accedit, ut tot diplomata ante annum Christi 877 praeferant aeram christianam eoque nomine suppositionis naeuo laborent. Magnam huius generis segetem diplomatum deprehendi, quae nonnunquam indicaui, plerumque vero omisi, ne incauto lectori fucum viderer fecisse. Est penes me diplomaticum Hildeshemens et Mindense, unde multa potuissem hoc transferre. Sed, rationibus graibus impulsus, ea omisi et alii occasione diplomata, ab hoc loco aliena, reseruanda constitui. Vereor enim, ne plura ediderim, quam videbatur necesse. Laudibus publicis heic concelebro Illustissimum BUCHOLZIVM, praesidem aerarii Episcopalis Hildeshemensis, cuius benignitate summa obtainui copiam rarissimorum sigillorum commemorabilem. Nec minus Venerabilis Abbas coenobii amplissimi Lamspringensis, IOSEPHVS II, de ROCKEBY cognominatus, diplomata mihi suppeditari et Ioannis Mabillonii opera in usum publicum mecum communicari iussit, vir immortali gloria dignissimus. In initio Dissertationis de Abbatissis Gandersemensibus tria scripta historica emendatius recusa dedi iure meo, *Agium* videlicet de *Vita et Obitu Hathumodae Abbatissae*, unde rebus Ludolfi lux plenior adfunditur: *Roswithae carmen hexametrum de primordiis et incrementis ecclesiae Gandersemensis*, ac *Eberhardi Rhythmos veteres Saxonicos de fatis primis coenobii regalis Gandersemensis*. Abbatissae saeculi XI miris inuolutae sunt tenebris. Vnde accedit, ut in enarrandis eis subinde ea emendauerim, quae antea, communes opiniones secutus, posueram. Sunt in numero diplomatum quoque nonnulla, quae Viro experientissimo D. Conrado Bertholdo Behrens, Archiatro Britannico, et genero eius Consultissimo, Prosyndico veteris Hildeshemii, Ioanni Adolpho Weinhagen, fautori suauissimo, in acceptis refero. Lectori minns ingratam fore tractationem de *domiciliis animarum humanarum intra et circa sepulcra ad canonem XXXIV Synodi Eliberitanae*, quam p. 543. sqq. inserui, haud inuitus confido. Cui enim fini inseruerunt donationes piae, nisi *remedio animarum?* Remedia proinde animarum et vera et ficta historice et theologice exposui, ut facilior pateret aditus penetrandi in opinionem de animis separatis, quam homines in monasteriis quondam tenuerunt. Patronos praecipuos ecclesiae, Anastasium I et Innocentium I, ab Opere nostro submouere, nefas videbatur. Vitas eorum proinde adlatas vides p. 440. sqq. Innocentii I vita, copiosissime exposita, occurrit in Actis Sanctorum Antwerpiensibus ad 28 diem mensis Iulii p. 548-561. Qui ritus et mores saeculorum aevi medii introspicere gestiunt, ei ex diplomaticis productis haud pauca adissent.

PRAEFATIO AD TOTVM OPVS.

discent. Loca, in eis commemorata, pro virili exponere tentau. Voices, desuetudine iam sepultas, illustrau. Historiam postremorum duorum saeculorum ex Actis sinceris concinnaui. Comites inserui seriei vassallorum, fateor, de quibus non constat, an nexus clientelari ecclesiae Gandershemensi extiterint obnoxii. At, quoniam ad historiam inferioris Saxoniae, Albim inter et Visurgim conclusae, respexi, nostrisque diplomatibus ex tractatione illa diffusori lux non contemnenda accenditur; lector vitio mihi non dabit id, quod usum spondet ampliorem librumque maiori utilitate commendat. Constitueram, hisce adiungere historiam Gandershemensem naturalem. Sed exclusus sum laborum mole et operis excrescentis magnitudine. Adieci tamen commentatiunculam et litteras de nonnullis lapidibus figuratis, ad Gandershemium obuiis. Methodo usus fuisse planiori, si statim ea animo sedisset sententia, mihi Opus integrum edendum esse. *Index*, opinor, ea refarciet, quae alioqui tardius oculis lectorum fere ingerunt. De stilo non est quod moneam. Puritatem Ciceronianam posthabui perspicuitati, quam notio rerum postulabat. Quid enim, quae, Ciceroni de feudis, vasallis, contra sigillis, ministerialibus et sexcentis aliis rebus innotuit? Hominibus, ad verba laibenda et vocabula trutinanda duntaxat natis, eam tradidisse curam, quae in historiis vocum minutissimis desudat, et res nouas ad decempedam Ciceronis contorquet. Libuit mihi licuitque otia mea curis illis subtilissimis non perdere. Haec sunt, quae ad ipsius atrii aditum praemonenda existimaui. Nunc TE, LECTOR PRAESTANTISSIME, non amplius detineo. Si rebus aeui medii delebaris, ad rem ipsam degustandam sine calcari properabis; sin historica odisti tenebrasque obscurioris aeui horrescis, id saltem dabis petenti, ut quaedam propioris aetatis acta iudices delibanda.

Vale et faue.

